

COMMENTARIUS IN PLATONIS
TIMAEUM.

(Numeri indicant paginas editionis Berolin. et Stephanianae.)

3. *Εἷς, δύο, τρεῖς· ὁ δὲ δὴ τέταρτος ἡμῶν.* 17

Hoc initium operis propter varias in oratione prosa versuum formas notavit Quintilianus IX, 4, 78. ad quae videtur quae post Spaldingium scripsit G. A. B. Wolffius. Alio haec verba nomine citavit Athenaeus p. 837. ex ed. Dindorfii, qui in varia ibi lectione e cod. pro ἡμῶν attulit ἡμῶν, nam quod Chalceidius Ficinusque expressere ὑμῶν, ejus alibi non est vestigium. Pro quo ἡμῶν quamquam est dictum ἡμῶν, propter ambiguitatem ferri non potest, quia et tertius certe praeter Socratem vere adest, nec Socrates debet intelligi quartus auctore Proclo I. p. 7. ubi quis ille, qui abest, fuerit quartus inter doctos disputatum narrat, aliis, veluti Aristotele Theaeteto, aliis contra intelligentibus Clitophontem, quos omnes non morans Proclus ipse unum dicit fuisse ex cohorte Timaei, accedente Schol. Leidensi p. 199. Quem anonymum apud Proclum l. l. Ammonius a Platone de industria putat omissum, ut quo hujusce operis argumentum esset sublimius, eo et minor esset numerus loquentium. Praeterea ad hunc locum Proclus l. l. p. 5. observat: ἔχει μὲν καὶ ἐνταῦθα αἰτίαν ἢ ἐξαλλαγὴ· τοὺς μὲν γὰρ παρόντας ἦν δεικνύντα ἀριθμεῖν· δεικτικὸν γὰρ τὸ εἷς, δύο, τρεῖς· τὰ δὲ ἀπόντα, δεικνύναι γὰρ ἀδύνατον ἦν, διὰ τοῦ τέταρτος ἐσήμηνε. Ad quam speciosam ordinalium quos dicimus a numeris cardinalibus distinctionem accedit etiam Eustath. II. β. p. 178. ed. R. — δαιτυμόνων. Duplicem hujus vocis significatum jam illustravit Eustath. ad Od. δ. p. 190. et κ. p. 771. itidemque ante eum Hesych. et Suid. v. Sed de sensu utriusque hic vocis δαιτυμῶν et ἐστιάτωρ figu-

a 2